

In Gallia et regionibus mari mediterraneo adiacentibus adeo copiosa stirps, ut odor grauedinem causet, decemque miliaria in mari sentiatur, et lignum illius ad flagrandum in culinis vsurpetur.

SALVIA.

Cor. ringens, inaequalis. Filamenta transuerse pedicello adfixa.

I. SALVIA (*officinalis*) foliis lanceolato-ouatis, integris, crenulatis: floribus spicatis; calycibus acutis. L.

Salvia minor aurita vel non aurita. HELW. *Qsindg.* 210.

Salvia minor. TIT.

Salwey. Salbey. Kleine oder Kreuzsalbey.

Patria. Europa australis.

In hortis culinaribus. †. Fl. Iul. Augusto.

Sacra veteribus, ut nomen (quasi *saluus vitae*), iam inuit habita, hinc prouerbum: *Cur moritur homo, cui crescit Salvia in horto.*

Virtute resolvente et roborante gaudet, et vi antiseptica corticem vincit peruianum.

Ad sudores nocturnos post morbos ex solidorum laxitate ortos coercendos, et in fluxu mammarum seroso post ablactionem superstitie et emaciantie, Salvia nihil efficacius inuenit *van Swieten.*

Succus Salviae cum limonum succo mistus in febrim intermittenti efficax visus KALMIO

Verula apud FORESTUM curauit cancrum Salvia masticata apposita.

Infusum foliorum, sanguini calenti admixtum, pulcherrimum illi conciliare colorem rutilantem, refert SCHWENKE.

Fabulis merito adnumeratur venenata qualitas, quam veteres a bufonibus, sub hac stirpe commorantibus, deriuabant, et quos, alterno ordine plantando Rutam, abigere studebant, vnde carmen: *Salvia cum Ruta, faciunt tibi pocula tuta.*

Flores apium culturae perquam fauent.

2. SAL.